

LVNÆ DIE 19 M. OCTOBRIS A. 2015

A.d. XIV Kal. Novembres a. MMXV

I 8 8

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS

Gaius Licoppe

REDACTRIX

Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

LIBERI AN SERVI?

- scripsit Gaius Licoppe -

Hodierni homines in orbe Occidentali vivunt modo specialistarum in servitute redactorum. Iam a pueritia in institutione scholari discipulis magis magisque traduntur tantum «res utiles»; «utile» vero per se nihil significat, oportet enim adiungere cui rei aliquid sit utile. In institutione scholari agitur de materiis utilibus, quibus discipuli fiant boni «actores œconomici».

Maximam potestatem apud Occidentales nunc habent pauciores magnates in quorum manibus est maior pars œconomiae nostrarum civitatum; hi autem quid volunt? Habere in singulis œconomiae gradibus optimos specialistas operum cum manualium tum intellectualium. Scopus institutionis scholaris, eorum sententia, est pueros formare ut tantum huiusmodi specialistæ fiant.

Perfectis studiis, iuniores, si officium invenerint, ita compelluntur ad maiorem proventum faciendum, ut non raro eorum vires exstinguantur, id quod Anglice vocatur *burn out*. Complurium fabricarum negotiorumque possessores (Angl. *holding*), qui non sunt eorum regentes, vix quicquam sciunt de ipsa fabricatione vel negotio et solum expectant reditum quam maximum, ad quem adipiscendum duæ sunt viæ, sive numerum laborantium minuere sive reliquorum proventum augere. Hoc modo in annos frequentiores fiunt possessores miliardorum euronum vel dollariorum et in servitute rediguntur laborantes.

Pauciores, qui in potestate alicuius societatis esse nolunt aut a nulla societate accepti sunt, suo Marte negotium creant et vitam laboriosam incertamque degunt, paucissimis exceptis, quorum eximium ingenium vel fortuna ducit ad successum inexpectatum.

Unum tamen hominum genus in hoc humanæ societatis statu emergere valet, politici scilicet; non mirum ergo, si hoc genus semper frequentius fit. Politici nunc mature suum cursum incohant nullam experientiam ullius rei habentes. Soli nihil valent, quare oportet sodales fiant alicuius factionis politicæ, cuius prosperitatem potius curare coguntur, quam ipsius civitatis; unus est factionis scopus: omnibus modis efficere, ut in proximis comitiis parlamentariis quam plurima suffragia colligant plerumque mentiendo et falsa credulo populo promittendo.

Dextræ factiones propinquæ sunt magnatibus, quare eis morem gerunt et operam dant ut institutione scholari discipuli nihil fiant nisi optimi «actores œconomici».

Partes sinistrae, quamquam ab excultis hominibus antea conditæ sunt, hodie præsertim reguntur sive ab incultis, sive a doctrinariis, qui, æqualitatem civium

inane quærentes, uniformitatem institutionis scholaris instituere volunt; isti creaverunt vocabulum, quod est «elitismus», et electissimis intellectualibus ignominiam iniunxerunt.

Cum diversis rationibus dextræ et sinistrae politicae factiones scholam ad eandem formam compellere velint, difficile est tantæ coniunctioni obstare, monere tamen oportet qualia sint detrimenta viæ, in quam institutionem scholarem ducunt.

Oportetne humana societas nostra solum e servis constet an etiam e liberis hominibus? Responsum videtur evidens: optandum est ut quam plurimi homines sint liberi; politici tamen eorum liberum iudicium timent.

Duæ condiciones sunt ut homo sit vere liber et de rebus circumstantibus per se iudicare valeat: satis pecuniæ habere atque litteris satis esse eruditum. Soli burgenses satis pecuniæ habent, ut a salario non omnino pendeant. De altera condicione infeliciter ex Natura fit ut non omnes pueri apti sint, qui satis erudiri valeant; necesse ergo est scholaris institutio e diversis institutis constet; electissimi, qui in institutis superioris notæ studere valuerunt, usque ad radices suæ culturæ edocentur et cultus civilis historiam discunt.

Iohannes Maria Rouart, Francogallicæ Academiae sodalis, in quadam recenti symbola¹ vituperat administram Educationis nationalis, Najat Vallaud-Belkacem, quæ programmata scholastica in Francogallia funditus mutet et e programmatibus tollere velit institutionem linguæ Latinæ et Græcæ, i.e. labefacere columnina Francogallicæ culturæ. Hanc mutationem iam paraverat administræ decessor, Vincentius Peillon, unus e socialistis doctrinariis, quorum hæc est doctrina: Revolutio nondum est perfecta; oportet enim omnia oblivisci, quæ fuerunt ante eam. Hac in re schola præcipuas partes agit, cum debeat discipulum exspoliare omnibus vinculis, quibus iungitur cum ætate ante Revolutionem acta; sic tantum discipulus extolli poterit, qui fiat civis; nova Ecclesia creabitur cum novo clero, nova liturgia, novis Tabulis Legibus.

Mirum in modum gaudent homines, scribit Rouart, cum athletæ numismata Olympica reportant, at non cogitant de eorum implacabili selectione. Selectio et excellentia accipiuntur in rebus athleticis, negantur vero in rebus intellectualibus, quasi selectio meliorum discipulorum in institutione scholari minus bonis insultet, quasi hæc selectio tantum sit modus quo foveatur classis dominans, superba et studiosa servandi propria privilegia et potestatem. Hoc tamen omnino falsum est; nam olim selectio meliorum discipulorum effecit ut pueri humili quin etiam remotissimo loco

nati ad summos magistratus pervenirent. Revolutio autem nobilium privilegia sustulit, sed non linguarum classicarum institutionem; ipsi Revolutionis actores cultu Latino erant imbuti; Respublica Romana eis erat exemplo.

Rouart symbolam concludit dicens hominem sua tradita cultura orbatum vagatum iri nihil intelligentem in viis, in museo Luparæ, in ecclesiis cathedralibus; calendarium eiusque festa iam non intellecturum esse; fore quasi extraneum in sua ipsius patria. Hominem novum, solum, præterito orbatum, præsentis tyrannidem patientem, sed tamen futuri anxietate non liberatum, subitum esse servitutem cæcorum, qui in sua nocte iter præterent.

Quibus lectis, censeo studia humaniora esse pretiosum tempus otii. Omissis omnibus materiis, quæ

solum futuris conductoribus sunt utiles, prætermissa omni specializatione præmatura, discipulis, quibus est necessarium ingenium, tradenda est cultura classica, quam cum ceteris Europæis participare possint. Hoc otium non est tempus perditum; nam sic pueri puellæve firma fundamenta iaciunt, necessaria ut recte æstiment sique sint iuris in iudicando, quæ condicio omnino necessaria est ut homo sit liber.

Nolimus etiam oblivisci tempus vitæ, quo fruuntur homines rude donati, nostra ætate longius fieri: reditus ad otium in schola bene cultum hominem sinet hos annos eleganter et intellegenter ornare. ☺

i. Symbola divulgata in periodico *Paris Match*, 13-20 m. Maii 2015.

DE CARALIS PANEGYRICO A RODERICO HVNNO BÆZA SÆCVLO XVI COMPOSITO

– scripsit Paula Marongiu –

Inter¹ innumerabilia Latina scripta ad laudes pertinentia velim *Caralis panegyricum* proponere, a Roderico Hunno Bæza sæculo XVI exaratum, quo urbs caput Sardinia² celebratur. Sardinia est insula in mari Mediterraneo posita, hodie regio Italicæ Rei Publicæ quæ cursu temporum multas vicissitudines passa est: occupationes variorum populorum, qui sæpe de ea parum curaverunt et tantum abusi sunt, quibus adiungendæ sunt naturales calamitates, pestilentia, annonæ caritates, exiguus numerus incolarum. Cum res ita se haberent, litteræ et artificia fuerunt semper rara et mediocria. Sunt tamen litteræ in quas Sardi hodierni homines docti enixo studio incumbunt. Sæculo autem XVI quo compositus est *Caralis panegyricus* in Sardinia quinque linguæ adhibentur: præter Sardam linguam vernaculam Neolatinam, Cataloniensis, Castellana, Italica, Latina, a multis populis inductæ qui ea potiti sunt.

Caralis panegyricus, unus quidem ex textibus

Latinis sæculi XVI, per sæcula manuscriptus, sub nomine Roderici Hunni Bæzæ, in Bibliotheca Municipii Caralitani usque ad annum 1954 iacuit, unicum exemplar apographon qui etiam versus Latinos et Græcos continet,³ cum Franciscus Alziator eum publicavit.⁴ De hoc textu perpauci viri docti antea locuti erant, inter quos sæculo XIX exeunte Eduardus Toda y Güell, Cataloniensis, in opere c. t. *Bibliografía española de Cerdeña*. Secunda autem parte sæculi XX in operibus quæ de Sardinia tractant *Panegyricus* et carmina memorantur, tamen nihil novi de auctore adicitur, qui adhuc pæne incognitus est.⁵

Sed feliciter Maria Teresia Laneri, mulier docta, quæ iam anno 2000 conata erat de nomine et natione scriptoris et de temporis ascriptione operis investigare, indicia nisa quæ e textu ipso depremerentur,⁶ nunc in editione critica *Panegyrici* paranda, detexit, documentis testantibus, Bæzam Latinam poesim usque ad annum 1549-1550 in Universitate Studiorum Valentina docuis-

se, deinde munus docentis Carali accepisse, ubi circiter annum 1552 mortuus esse videtur.⁷ Itaque, in præsens tempus, ut de hac re concludamus, Bæza Carali, magister humanarum litterarum, sæculo XVI mediante hunc textum exaravit qui, secundum coniecturam Mariæ Teresiæ Laneri, probabiliter prælectio instauratione studiorum habita fuit. Utrum Cataloniensis an Sardus fuerit incertum manet: nam cum vehementia et inflammatio quas verba eius ostendunt, ut videbimus, cum de Cataloniensibus agitur, facit ut cogitemus de origine Cataloniensi, tum caritas erga Caralim, qua totus *Panegyricus* imbuitur, Cataloniensi magistro immodica videtur, qui in hac urbe solum paucos annos versatus est. Quapropter verisimile est auctorem nostrum Sardum Cataloniensi familia ortum esse. Certe multa alia de hoc homine exspectantur, sed nunc nostra interest *Panegyrico* operam dare.

Caralis Panegyricus numerari potest inter multa elogia urbium quæ ætate qua litteræ renatæ sunt humanistæ composuerunt, qui, antiquis scriptoribus nisi, in urbibus laudandis gratiam principum et regum quærebant.

Hoc clare patet iam inde a proœmio quo Bæza ad Caralitanos se vertit⁸ et inter alia affirmat: «Parum enim laudis meretur qui rem tot nominibus ac sine controversia celebrem laudare suscipit atqui rem conviciis obnoxiam laudare nititur, is me hercule vel solo argumento precium operæ attendentium absolvit, præcipue cum rei novitas non tam ad ingenii exercitationem quam ad rei publicæ utilitatem deflecti videtur. Caralis enim laudes dicturus non ad vos declamatorium specimen adfero ubi scholastica disciplina laudem illaudatis et labem probatis conatur adfigere ut ingeniorum vires experiatur, inde nobis Favorinus philosophus febrem quartanam commendavit, calvitium suum Synesius comis præposuit, sed et Thersitem Achilli præponendum Isocrates rhetor pæne persuasit ut muscam Luciani et nuper scarabæum Erasmicum.⁹ Præteream; nihil huiusmodi a me nunc expectetis. Illa enim propria virtute contenta sunt, quæ vero ad vos adfero vel sola veritatis indagazione a livore ipso laudem extorquebunt.»¹⁰

Itaque Bæza declarat se in animo habere Caralim celebrare, opus eo magis laude dignum, quo magis hæc urbs semper cursu temporum ab omnibus verbis lacerata morsaque est, præterea non agi de oratorio labore, quo multi viri docti unoquoque tempore delectati sint, sed de veritate restituenda rei publicæ commodo.

Ceterum is antiquissimis exemplis nititur usque ad ætatem suam provectis. Elogium enim sæculo V a Gorgia Leontino rhetore inventum, est oratio publica

ad genus demonstrativum pertinens, qua vel cuiusdam viri clarissimi, vel urbis, vel populi virtutes laudantur. Quod attinet ad urbes ætate classica, afferre sufficiat *Panegyricum* Athenarum Isocratis (sæc. IV a.Chr. n.) et *Orationem ad Romam* Publii Ælii Aristidis (sæc. II p.Chr.n.).

Habitus autem civilis urbium laudandarum iam media ætate, qua eæ post incursiones barbarorum renascuntur, incipit, sed ætatem præsertim notat qua litteræ renatæ sunt, cum voluntas antiquos scriptores imitandi cum cuiusdam urbis cupiditate præstantiæ politicæ adipiscendæ coniungitur. Sine ullo dubio talium laudum archetypum est *Laudatio Florentinæ urbis* quam Leonardus Aretinus annis 1403-1404 confecit.¹¹ Sæculo XV ineunte nondum Cosmus Maior Mediceus rerum potitus erat et Florentia bello contra Vicecomites Mediolanenses victrix evaserat. Florentia est urbs perfecta situ, arte urbis disponendæ, præsertim forma civitatis in rei publicæ libertate defendenda posita, quam ob rem meretur ut principatum totius Italiae obtineat.¹²

Cum hoc tempore studia nobis non permittant ut sciamus quæ exempla Bæza ante oculos habuerit, de hac re tantum conicere possumus. Cum esset magister humanarum litterarum et Latinæ et Græcæ linguæ peritus certe antiquos auctores bene novit et etiam humanistas.¹³ Equidem verum tamen condicio Caralis et Sardinia est peculiaris et auctor, quod ad tempora sua spectat, cultu civili, artibus, copiis, opibusque, super populos imperio niti non potest, quod historia Caralis est tantum historia occupationum potentissimorum populorum, Græcorum, Phœnicum, Carthaginiensium, Romanorum, post barbaros Byzantinorum, Pisanorum, Hispanorum. Tum Bæza dextere ingenioseque se expedit ita ut, quod primo aspectu est ignominia, id est externorum populorum dominium, in superbiam mutat. Nam eius sententia illi populi Caralim non subegerunt, sed tam multis virtutibus eam propriam sedem elegerunt.

His rebus præpositis, nunc *Panegyricum* proprius consideremus. Bæza laudum urbium formam sequitur quæ a multis antiquis auctoribus constituta est. Fortasse magis quam Dionysium Halicarnasense (sæc. I a. Chr. n.) rerum scriptorem et rhetorem vel Menandrum Laodicensem (sæc. III p.Chr. n.) eundem rhetorem, Quintilianum respexit¹⁴ qui, de genere laudativo tractans, paucis et claris verbis quid de urbibus dicendum sit explicat.¹⁵

Maximæ laudi Carali est igitur antiquissima origo, («Multum auctoritatis adfert vetustas» ut Quintilianus adfirmaverat) et nobilissima et fabulosa, quod

Aristæus, Apollinis et Cyrenes nymphæ filius, in insulam cum Græcis delatus, eam condidit et ceteris totius insulæ oppidis præposuit.¹⁶ Conditor autem est herois, fecunditatis deus factus. Testis autem huius originis est Solinus,¹⁷ cum Strabo ante Græcos Tuscos huius urbis indigenas fuisse asserat,¹⁸ Pseudo-Aristoteles autem memoret in Sardinia vetustissima monumenta Græco more elaborata adhuc extare.¹⁹

Itaque Caralis est antiquior Roma et nobilior, quod a Græcis victoribus, non a Troianis victis, condita est. Quam Græcam originem, quamquam tantum litteris et monumentis rerum gestarum nisam, etiam moderni archæologi confirmaverunt.²⁰ Ad antiquitatem urbis spectat etiam, ut veteres scriptores testantur,²¹ verum nomen quod est 'Caralis' et non 'Calaris,' quod tantum ætate media prævaluit.²²

Transeamus ad tempora Romanorum qui, post Phœnices Caralis dirutæ restitutores,²³ Sardinia potiti sunt. Tum Caralis, secundum Bæzam, facta est colonia Romana. Agitur de maximo honore ut Aulo Gellio auctore²⁴ ille hoc modo explicat: «Idem enim ius habebant coloni atque Romani intra mœnia urbis Romæ nati; nam Carali nati cives Romani ubicumque dicebantur», qui honos eo maior est quo rarior est: «Hoc ius coloniæ paucissimæ in provinciis Romanis urbes nactæ sunt ac non passim ac temere concedebatur».²⁵ Sed videtur Caralis anno 48 a. Chr. n. a Cæsare tantum municipium (municipium Iulium) facta esse.²⁶ Inflammatio autem animi ad qualitates urbis describendas eum inducit: «Hinc colligi potest quanta huius urbis celebritas, florente Romano imperio fuerit cum propter portus amœnitatem, frequentiam, facilitatem tum propter urbis huius antiquitatem et nobilitatem».²⁷

Tum Carali multi homines illustres floruerunt, inter quos, Tigellius, ab Horatio memoratus, Bæzæ sententia celeberrimus musicus quem Augustus libentissime canentem audire cupiebat: «Iis Romani imperii temporibus plurimos hic illustres viros constat floruisse ac Romanum principem locum assecutos, qualis ille Tigellius, celeberrimus musicus, qui divi Augusti principatu summo in precio est habitus. Hic enim ut Horatius in Satyris refert tantæ apud Cæsarem Augustum potentiæ fuit ut sæpissime Augustum uti caneret orantem per amicitiam patris atque suam contemneret».²⁸

Si autem verum fateri volumus, Latinus poeta semel, occasione mortis data, dissolutos Tigellii mores deprecatur; postea iterum ingenii inconstantis et morosi eum damnat.²⁹

In veritate depravanda laudator noster perguit cum litteras ætatis Romanæ Caralitanas in astra tollit: «Floruit præterea hic Atilius Philippus cum Atilia Pomptilla benedicta uxore sua uterque clarissimus, quorum celeberrimum monumentum adhuc extat ad cœmeterium quod domini Veneri dicitur, compluribus inscriptionibus Græcis et Latinis carminibus in rupe

ipsa incisus insigne, quod saltem huius urbis incolas admonere potest quanta eo tempore in hac urbe eruditio atque bonarum litterarum studium fuerit cum, non modo in ulla provincia sed nec in ipsa metropoli Romana, tot tamque doctis epigrammatis constipatum monumentum reperiatur».³⁰

Sed, ut vere dicamus, agitur tantum de sepulcro in modum hypogæi qui etiam nunc Carali extat duorum coniugum Romanorum, qui sæculo II p. Chr. n. in exilium in Sardiniam eieci sunt. Inscriptiones autem, difficiles lectu, eorum mutuam amorem celebrant.³¹ Eiusdem ætatis sunt multæ aliæ inscriptiones, quas Bæza memorat, ad homines non tam magni momenti spectantes, plerumque ignotos procuratores vel militum præfectos.

Sed plus quam huius intemperantiæ et veritatis superlacionis immodico urbis studio imputandarum, est operæ pretium mentionem facere descriptionis locorum, antiquissimæ historiæ urbis, et hac de causa nobis maximi momenti, quod hi limites urbani, a modernis archæologis confirmati, adhuc urbem complectuntur: «Nullo tempore celebrior aut ampliior hæc urbs fuit quam vigente imperio Romano. Nam præter monumentorum copiam remanent et ædificiorum vestigia quæ eius amplitudinem antiquam docent. A parte occidentis usque ad cœmeterium domini Veneri, a parte austri litore claudebatur, a parte vero orientis usque ad cœmeterium domini Saturni patebat, a septentrione non admodum dominebat, ita ut nullo longior esset a litoris ora quam latior».³²

Hæc urbis forma in longitudinem etiam a Claudiano memorata erat, quem Bæza facere non potest quin afferat, cum in poemate *De bello Gildonico* Caralis portum a maritima vi tutum describit, qui Stilichonis classi in Lybiam contenturæ facilem appulsum præbet: «Urbs Lybiam contra Tyrio fundata potenti/Tenditur in longum Caralis».³³

Imperio Romano senescente et Christiana religione per urbem permanente, multi Caralitanis secundum Bæzam martyrium tulerunt, inter quos clarissimus est Sanctus Saturnus, quibus inter clarissimos Christianos adiungendi sunt multi episcopi et pontifices.³⁴

Parte ad Gothos et Vandalos et Byzantinos spectante præterita, considerationem meam in Pisanorum dominium intendere præfero, qui circiter annum 1216 in quodam Caralitano colle Castellum Castri condiderunt, ubi olim antiqua arx, cuius nunc nullum vestigium manet, imminebat et nonnulla suburbia: «Mansere diu Constantinopolitani coloni in hac urbe quousque Pisanorum superbia terra marique potens huc appulit. Nam cum diutina obsidione hanc urbem diruissent postea rerum potiti a cœmentis instauravere ac Castro Pisano nomen indidere. Ita enim in monumentis Pisanis invenitur, ubi non Castrum Callaris, ut nunc dici solet sed Castellum Castri hæc urbs vocatur. Hi, inter cetera memoria digna, templum domino

Saturno pulcherrimum et reliquiis Constantinopolitanorum, ac divæ Cæciliæ, in medio urbis, mœnibus arcem atque turribus fortissimis munivere. Deinde cum frequentius fieret hoc castellum propter stationem maritimam, tribus insignibus suburbis auctum est.³⁵ Non diu Pisanis colonis hæc urbs gavisata est alioqui non pœnitendis».³⁶

Ex his verbis inferre possumus iudicium de Pisanis satis bonum esse. Nam Bæza in promptu ponit in primis maritimæ rei publicæ potentiam et vastatricem vim, sed etiam monumenta restituta (ecclesias Sancti Saturni et Sanctæ Cæciliæ), et præsertim munitiones, quæ maxime ad laudem urbis spectant, ut inter alios Cassiodorus et Isidorus Hispalensis affirmant.³⁷ Et forsitan, tam multis rebus ad effectum adductis, «Pisani non sunt pœnitendi» id est non spernendi.

Post circiter centum annos sæculo XIV ineunte venerunt Aragonienses.³⁸ Contumaciter Bæza, quod ad urbem suam attinet, ubi colonia Cataloniensium, ut etiam Algarii domicilium suum collocavit, loquitur de eorum gestis: «Deductæ sunt in Caralim familiæ Cathalanorum præcipuæ ac clariore, nam et hoc posteritas ipsa testatur»; tum sequitur laudatio potentiæ Hispanorum, hodiernorum dominorum qui, cum America potiti essent, Romanos ipsos superaverunt: post varios populos «restabat victrix Hispania quæ totius orbis dignissima imperatrix, non orbe contenta Romano, tot sæculis ignoratas suo principi terras tradidit».³⁹

Cum ad finem laboris sui pervenerit Bæza permultas qualitates enumerat, quibus omnes populi, qui ceperunt Caralim, non solum eam vastaverunt et spoliaverunt, sed etiam, ut ita dicam coacti sunt eam non iam relinquere, ut de clarissimis urbibus accidit: «Iudicabant enim dignissimam nec temere prætereundam. Tantum male solet audire quod hic sæpissime peregrini detineantur ac quasi glutino quodam adlecti vix divelli queant quod ad laudem potius urbis referendum censeo cum hoc commune habeat cum præcipui nominis urbibus».⁴⁰ Carali enim, ut in Panegyrico docuit, est antiquitas, nobilitas, celebritas, quibus rebus adduntur omnes qualitates quæ pulcherrimam urbem faciunt: natura loci (peropportunos portus frequentissimus, deliciae, hortuli, voluptates), munitiones («urbs tot turribus bellicisque machinis munitissima»), quas post Pisanos Hispani auxerant et firmaverant, solum fertile omnium frugum et animalium, cives benigni, recti dei cultores, – res maximi momenti ætate emendationis religionis reformatæ –, tam domi quam militiæ strenui, nobiles divitesque, mulieres virtute et pulchritudine præditæ. De quibus rebus auctori nostro assentiri possumus, minus cum Caralitanos etiam omni doctrina atque arte ingeniosos putat. Extrema laus est dominis Hispanis, qui urbi sunt maximæ laudi: «Et quam maxime huius urbis felicitatem, gloriam decusque auget quod tales duces ac rectores iurique præfectos quodam dei munere sortita est ut merito

licet quæcumque dixerim dissimulare præterirem, hoc solum ceteris omnibus celebriorem ac præstantiorem hanc urbem ostendere facile posset».⁴¹

Ita Bæza sapientia et dexteritate inceptum difficillimum ad finem adducit, id est rem ab omnibus spretam laudare. Nam, ut ait Cicero, «nihil est tam incredibile quod non dicendo fiat probabile, nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione et tamquam excolatur».⁴² Caralis tamen non erat certe omnino contemnenda ne reticenda quidem, sed bene fecit doctus magister humanarum litterarum qui, Caralitanos abiectos et multis dominationibus et mutationibus demissos, in quibus nunquam primas partes egerant, sed semper passi erant, monuit de egregiis quamvis inusitatis eorum urbis pulchritudinibus. ☪

1. Hæc acroasis habita est in conventu Vindobonensi *De laudibus* ab Academia Latinitati Fovendæ (ALF) mense Septembri anni 2013 parato.
2. Caralim caput Sardinia esse ab antiquis temporibus repetit, ut Annæus Florus (*Epit.*, I, XXII,35) ostendit, cum Sardorum contumaciam secundo bello Punico a Romanis domitam ante oculos ponit: «Sævitur in urbes urbemque urbium Caralim».
3. Francisca Piccioni, doctrix quæ Bæzæ nunc studet, epistula electronica mihi humaniter indicem suppeditavit: carminum corpus, quorum amplitudo est inter duos et 240 versus, e Latinis, e Latinis e Græco conversis (unum etiam Politiani), e tribus Græcis carminibus constat; inter omnia carmina *In dispar coniugium* et *In laudem Violantis Camarasiae, musicæ perfectissimæ Alguerensis* eminent.
4. FRANCESCO ALZIATOR, *Il Caralis panegyricus di Roderigo Hunno Bæza*, Cagliari, Tipografia Mercantile Doglio 1954.
5. D. EDUARDO TODA Y GÜELL, *Bibliografía Española de Cerdeña* (Madrid 1890) Milano, Studio Editoriale Insubria 1979, pp. 229-230. Ex hominibus doctis secunda parte sæculi XX de litteris Sardis post Franciscum Alziator tractantibus nonnulli etiam de Bæza scripserunt ex gr. MIQUEL BATLLORI, *La cultura sardo-catalana nel Rinascimento*, in *I Catalani in Sardegna*, a cura di Jordi Carbonell e Francesco Manconi, Cagliari, Amilcare Pizzi Arti Grafiche 1984, pp. 99-104: 101. GIOVANNI PIRODDA, *Letteratura delle regioni d'Italia. Storia e Testi. Sardegna*, Brescia, Editrice La Scuola 1992, p. 20, pp. 93-94. PAOLA PITTALIS, *Storia della letteratura in Sardegna*, Cagliari, Edizioni della Torre 1998, p. 46.
6. MARIA TERESIA LANERI, *Per la identificazione e la cronologia dell'umanista Rodrigo Hunno Bæza*, «Studi Sardi» vol. XXXIII (2000), Cagliari, Edizioni Antonino Valveri 2003, pp. 471-498.
7. Illa, de quæstione rogata, per epistolas electronicas mihi benigne liberaliterque respondit.
8. In manuscripto legitur: «Roderico Hunno Bæza auctore Caralis panegyricus civibus Caralitanis dictus».
9. Hic index auctorum absurdas res laudantium iam apud Erasmus, qui etiam multos alios affert, in nuncupatione *Stultitiæ laudis* Thomæ Moro invenitur (Cf. ERASMO DA ROTTERDAM, *Elogio della follia*, Roma, Newton Compton 2002, pp. 20-22), ut Maria Teresia Laneri (*op. mem.*, pp. 478-479) iam animadverterat.
10. *Caralis panegyricus*, *op. mem.*, p. 20.

11. LEONARDO BRUNI, *Panegirico della città di Firenze*, Firenze, La Nuova Italia 1974.
12. Exemplar videtur esse *Panathenaica oratio* Æli Aristidis: ut Athenæ Græciam a Persis, ita Florentia Italiam a Vicecomitibus liberavit. (Cfr. Ibi, Giuseppe De Toffol, *Introduzione*, pp.1-5: 4).
13. Cfr. notam 3 ubi memoravi Bæzam Græcum carmen Politiani transtulisse.
14. Quoad ætatis classicæ exempla cfr. ANDREA PELLIZZARI, *Tra retorica, letteratura ed epigrafia: esempi di laudes urbium taroantiche*, «Historiká», I, 1, 2011, pp.123-144: 124.
15. QUINTILIANUS, *Institutio oratoria*, III, 7, 26-27: «Laudantur autem urbes similiter atque homines. Nam pro parente est conditor, et multum auctoritatis adfert vetustas, ut iis, qui terra dicuntur orti; et virtutes ac vitia circa res gestas eadem quæ in singulis illa propria quæ ex loci positione ac munitione sunt. Cives illis ut hominibus liberi decori. Est laus et operum, in quibus honor, utilitas, pulchritudo, auctor spectari solet. Honor ut in templis, utilitas ut in muris, pulchritudo vel auctor utrobique. Est et locorum, qualis Siciliæ apud Ciceronem, in quibus similiter speciem et utilitatem intuemur; speciem in maritimis, planis, amœnis; utilitatem in salubribus, fertilibus».
16. *Caralis panegyricus*, *op. mem.*, p. 22.
17. SOLINUS, *Collectanea rerum memorabilium*, I, 61, IV, 1.
18. STRABO, *Geographia*, V, 2.7.
19. PSEUDO-ARISTOTELES, *De mirabil. auscul.*, 100.
20. Cfr. MASSIMO PALLOTTINO, *La Sardegna nuragica* (1950), a cura di Giovanni Lilliu, Nuoro, 2000, præsertim cap. *Tradizioni letterarie e dati archeologici*, pp.77-90.
21. Inter Græcos STRABO, *Geogr.*, V, 2,7 et PTOLOMÆUS, *Geogr.*, III, 3; inter Latinos POMONIUS MELA, *De chorogr.*, II, 30. Hæc forma etiam in marmorea inscriptione Flavi Karalitani, nunc amissa, invenitur, quæ in domo Pomponii Leti humanistæ, Academiæ Romanæ sæculo XV conditoris, posita erat.
22. 'Calaris' littera 'l' a Pisanis geminata, facta est 'Callari' unde, pronuntiatu Hispanico, venit Italicum nomen 'Cagliari'.
23. Claudianus (*De Bello Gildonico*, 520) affirmat a Phœnicibus conditam esse.
24. AULUS GELLIUS, *Noctes Atticæ*, XVI, 13.
25. *Caralis panegyricus*, *op. mem.*, p. 34.
26. Cfr. CENZA THERMES, *Cagliari, amore mio*, Cagliari, Gianni Trois Editore 1980 et FRANCESCO CESARE CASULA, *La storia della Sardegna*, Sassari, Carlo Delfino Editore 1992, p. 108. Re vera solum Turris Libisonis (Porto Torres) colonia fuit, quoad Sulcos, quos etiam Bæza censet coloniam fuisse, quod Pompeianas partes secuti erant, tantum afuit ut colonia fieret, ut etiam tributo magnopere aucto puniti sint.
27. *Caralis panegyricus*, *op. mem.*, p. 36.
28. Ibi, *op. mem.*, pp. 36-38.
29. HORATIUS, *Sat.*, I, 2, 1-4: «Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ, /mendi-ci, mimæ, balatrones, hoc genus omne/ mæstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli; quippe benignus erat». *Sat.*, I, 3, 1-19: «Cæsar [Augustus], qui cogere posset, /si peteret per amicitiam patris atque suam, non / quicquam proficeret; si collibisset, ab ovo/usque ad mala citaret: 'Io Bacchæ', modo summa/voce, modo hac, resonat quæ chordis quattuor ima./ Nihil æquale homini fuit illi[...] Nil fuit unquam/sic impar sibi».
30. *Caralis panegyricus*, *op. mem.*, p. 40.
31. Hoc sepulcrum situm est in regione archæologica urbis Caralis (Via S. Avendrace) et appellatur «Grotta della vipera» (crypta viperæ) e duobus serpentibus fastigium ornantibus, qui fortasse fidem amoris coniugalis significant.
32. *Caralis panegyricus*, *op. mem.*, p. 42.
33. CLAUDIUS CLAUDIANUS, *De bello Gildonico*, 520-526: «Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti/ Tenditur in longum Caralis tenuemque per undas/ Obvia dimittit fracturum flamina collem;/ Efficitur portus medium mare, tutaque ventis/ Omnibus ingenti mansuescunt stagna recessu./ Huc omni petiere manu prorisque reductis/ Suspensa Zephiros expectant classe faventes». Hoc poema narrat quomodo Honorius, Stilichone duce, Gildonem Lybiæ Arcadi nomine usurpatorem vicerit.
34. *Caralis panegyricus*, *op. mem.*, pp. 42, 44. Index Bæzæ est parum accuratus: inter martyres clarissimus est Sanctus Saturnus, Caralis patronus, qui martyrio sub Diocletiano anno 304 affectus est; alii non sunt Caralitani ut Sanctus Simplicius idem martyr sub Diocletiano et fortasse episcopus Pausaniæ, vel ne Sardi quidem ut Sancta Restituta Africana; inter episcopos Caralitanos est dignus qui memoretur Sanctus Luciferus (III-IV sæc.) cui Carali est ecclesia dicata; pontifices Sardi fuerunt Sanctus Ilarius (461-468) et Sanctus Simmacus (498-514), sed non constat eos fuisse Caralitanos.
35. Agitur de suburbii quæ Marina, Stampax, Villanova adhuc vocantur.
36. *Caralis panegyricus*, *op. mem.*, pp. 46-48.
37. CASSIODORUS, (*Var.*, XII,15), cum Scyllaceum, urbem suam natalem, «primam urbium Bruttiorum» dicat, tamen incertus est num urbs sit; nam «quia modo non habet muros, civitatem credis ruralem, villam iudicare possis urbanam». ISIDORUS HISPALENSIS, (*Etym.* XV,2,1) affirmat: «civitas est hominum multitudo societatis vinculo adunata, dicta a civibus, id est ab ipsis incolis urbis. Nam urbs ipsa mœnia sunt, civitas autem non saxa sed habitatores vocantur». (Cfr. ANDREA PELLIZZARI, *op. mem.*, p.137 et notam 80, p. 138 et notam 81).
38. Anno 1324 Aragonienses Carali collem Bonariæ occupaverunt, anno 1325 Pisanos victos e Castello Castri expulerunt, qui tantum ut privati mercatores in urbe manere potuerunt. Anno 1478, Sardis pugna apud Macomer fuis profligatisque, Aragonienses tota Sardinia potiti sunt; anno insequenti Ferdinandus Aragoniensis Isabellam Castellanam uxorem duxit; anno 1516 Carolus V, unicus rex duobus regnis in locum Ferdinandi Catholici avi, qui hereditatem Castellæ ab uxore acceperat, successit: itaque Sardinia post hunc annum in ditione Hispaniæ dici potest.
39. *Caralis panegyricus*, *op. mem.*, p. 48. Bæza silentio præterit Sardos e Castello repulsos esse et ibi tantum Cataloniensibus, Valentinis, Maiorcinis habitare permissum esse. (Cfr. ALBERTO BOSCOLO, *Profilo storico della città di Cagliari*, Cagliari, Valdès 1961, p.15), verisimiliter quod interdictio secunda parte sæculi XV, tota insula capta, est abolita. (Cfr. GIANCARLO SORGIA, *Le città regie. Cagliari in La società sarda in età spagnola*, a cura di Francesco Manconi, (1992), Cagliari, Edizioni della Torre 2003, pp. 738-747: 38-40).
40. *Caralis panegyricus*, *op. mem.*, p. 50.
41. Ibi, p. 52.
42. CICERO, *Paradoxa Stoicorum*, Proæmium, 3. Quoad elogia quæ contra opinionem omnium sunt, Cfr. MARIA CRISTINA FIGORILLI, *L'elogio paradossale nel Cinquecento. Un percorso tra bizzarrie e stravaganze. Indagine su testi volgari in prosa* 2001. Auctrix (p. 9 et nota 10, p. 9) dicit *Paradoxa Stoicorum* magna fortuna sæculo XVI gavisæ esse.

DE BELLO GALLICO EO DIE NON TRACTATO

– scripsit Christianus Buyse –

Die 2 m. Septembris schola incepit multis discipulis (et magistris eorum!). Sed hoc die etiam puer trium annorum, Aylan Kurdi, submersus est una cum fratre et matre et aliis... Corpus illius parvuli postero die in litore Turcico apud Halicarnassum (*Bodrum*) inventum est. Imago pueri proni iacentis in æstu multorum universi mundi hominum animos perturbavit. Ingens iam profugorum copia e Syria venit, quæ per quattuor annos crudeli bello civili vexatur. Plures immigrantes Europam petentes mare Mediterraneum transire iam temptaverunt naviculis parvulis, et hoc iter maritimum semper periculosum et nonnumquam perniciosum fuit multis. Tunc demum cum et Aylan

vitam amisit, mundus tandem penitus intellexit profugorum fortunam adversam.

Huius pueri mortui imago ante oculos meos manebat totam per diem. Cæsaris vitam et bellum Gallicum discipulis meis explicare nolui. Non potui. Aliquid levis momenti æstimavi. Immo vero, cum et Cæsar in nostris regionibus bellum suum Gallicum gessit, permulti homines præcipites fugæ se mandaverunt et alibi salutem et vitam novam petiverunt. Semper idem: ubi bellum, ibi profugi. Ubi profugi, ibi mortui. Qua de causa textum a Petro Verhelst Neerlandice conscriptum in linguam Latinam vertere cœpimus. In memoriam illius pueri. ☹️



Anatole France, *Nos Enfants*,
ill. Louis-Maurice Boutet de Monvel,
1900 (Wikimedia)

Olim erat mare
Ubi erat?
In litore
Ubi terra mari alluitur
Ubinam?
Ubi terram affluit mare
Cuius?
Ubi mare nostrum terra nostra?
Ita! Et arena ibi nostra!
Ibi erat
Ubi et nubes et cælum nostra
Ita, ibi
Ut iacebat
Ut erat pronus, manibus corpus iuxta
Ut pronus etiam sublatus
Cum sustulimus, etiam tunc pronus in arena
Etiam nobis non iam inspicientibus
Immo vero tunc pronus remanebat
Umquam sua sponte profecturum putavimus
Sed nostrum ut primum sublatum
Non ignoravimus
Oblivisci temptavimus
Olim erat, olim erat – sed numquam non erit

(Versio latina a discipulis Sancti Petri Institutii Gandavensis, magistro adiuvante - classes 4GLaAGLaB - 4LaALaB2 - 4LaB1)

Er was eens het water
Waar was het?
Aan de rand van het water
Waar het aan land komt
Waar zeg je?
Waar het water aan land komt
Van wie?
Waar ons water ons land wordt, bedoel je
Waar ons water ons land is en ons zand ons zand is
Daar was het
Waar de wolken en de luchten van ons zijn, bedoel ik
Daar was het
Hoe het daar lag
Hoe het voorover lag, zo, met de handen naast het hoofd
Hoe we het wegnamen en het voorover bleef liggen
Zelfs toen we het wegnamen, bleef het, terwijl we het wegnamen, voorover op het zand liggen
Zelfs toen we niet meer keken
Vooral waar we niet meer keken bleef het op het zand liggen, voorover
Dat het op een dag wel uit zichzelf zou vertrekken, dachten we soms,
Maar dat het van ons werd toen we het wegnamen
Wisten we
Er was eens, probeerden we nog te denken, maar
Zo luid we konden, probeerden we er was eens, er was eens te blijven denken

(Peter Verhelst)

DE NEONAZISMO FINNICO

– scripsit Samius Jansson –

(ac Cicero et personæ ex ludis Plauti et Terentii verba intercalant)

PALÆSTRIO. *Satin eadem vigilantibus expetunt quæ in somnis visa memoras?*¹

OLLIUS IMMONEN. *In somnis visa mihi est natio quæ superabit istud portentum quod appellatur «multiculturalismus». Ista turpis vesica in qua inimici nostri vivunt actutum erit perpulsa in mille fragmenta minima. Vitæ nostræ implicatæ sunt temporibus asperrimis. Hi ipsi sunt dies qui relinquunt signum æternum in natione nostra futura. Confido fortissime conpugnatoribus meis. Usque ad finem pugnabimus pro patria nostra ac pro unica vera natione Finnica. Victoriā nostram portabimus.*

Sic scripsit Ollius Immonen, parlamentarius Finnis et membrum regiminis Radiophonix Finnicæ Generalis, die Veneris ante IX Kal. Aug. (24.7.2015) in facebook-pagina sua de «multiculturalismo». Verbis istis videlicet bellum parare cupit contra immigrantes, præcipue contra musulmanos ac «virido-lævus» qui sunt homines qui favent valoribus socialisticis et oecologicis. Ollius Immonen est parlamentarius factionis cui nomen est *Perussuomalaiset*, id est, «Finni fundamentales», Anglice se ipsos appellant *The True Finns*, Finnos Veros. Aliqui inter eos amant nazismum et quidem Adolphum Hitler aperte sibi ducem adoptarunt. Minister rerum externarum noster Timo Soini est præses factionis eorum. Etiam alii Veri Finni sibi ceperunt summos status in parlamento et regimine Finnicæ.

CICERO. *O tempora, o mores! Senatus hæc intellegit. Consul videt; hic tamen vivit. Vivit? Immonen² vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad cædem unum quemque nostrum.*³

Posteaquam talia scripsit ipse parlamentarius, coniuuratores eius statim commentarios breves scripserunt in spatiis subsequentibus traditis in facebook-pagina ipsius. Nonnullos ex iis hic Latine vobis, cari lectores, reddam ut videatis quales latrones et prædatores sibi summam poscant potentiam ad regendam nostram rem publicam.

CONIURATOR PRIMUS. *Bellum phyleticum bene immineat!!*

CONIURATOR ALTER. *Cum pœna capitalis glande manuballistica in cervicibus damnati perlata iterum erit inter leges, equidem sciam qua ratione agendum erit. Fodiamus certe iam fossam virido-lævis post saunam?*

OLLIUS IMMONEN (respondet coniuratori altero). *Inimici nostri experientur cladem dolorosam ac fortissimus nostrum in gloriam surget.*

MILPHIDIPPA. *Iam iam sat, amabo, est. Sinite abeam, si possum, viva a vobis.*⁴

CHREMES. *Quid cum illis agas qui neque ius neque*

*bonum atque æquom sciunt? Melius peius, prosit obsit, nihil vident nisi quod lubet.*⁵

Etiamsi Ollius Immonen sustulit omnes commentarios postquam didicit se iram et timorem inter civites Finnos incitasse, certum est eum verbis suis iam graviter nocuisse paci Finnicæ.

Plus quam quindecim milia civitum in manifestatione publica convenerunt haud tardius nisi duos dies posteaquam in facebook-pagina divulgati erant commentarii neonazistici ab Ollio Immonen excogitati et publice defenderunt positionem immigrantium et culturalium varietatem. Illius manifestationis nomen erat *Minulla on unelma*, id est, «Ego habeo visionem», secundum verba Martini Lutheri King Junioris, qui in oratione sua data v Kal. Sept. MCMLXIII (28.8.1963) repetebat verba *I have a dream* («Habeo visionem / somnium»)⁶.

His diebus valde timemus hic nos qui sumus vel virido-lævi vel immigrantes vel etiam adoptati ex terris remotis ac colore distincti ab hominibus alba cute natis.

PALÆSTRIO. *Eheu, quom venit mi in mentem ut mores mutandi sient, muliebres mores discendi, obliviscendi stratotici!*⁷ ☹️

1. Plauti *Miles gloriosus*, vide lineam 393.

2. Pace vestra, cari lectores, Ciceronis verba paululum mutavi.

3. Cicero *In Catilinam* I.2.

4. Plauti *Miles gloriosus*, vide lineam 1084.

5. Terentii *Heautontimorumenos*, vide lineas 642-3.

6. Martin Luther King Jr (1963). *I have a dream*. <http://www.americanrhetoric.com/speeches/mlkhaveadream.htm>.

7. Plauti *Miles gloriosus*, vide lineas 1358-9.

[ecce acta diurna in quibus de hac re scribunt]

<http://www.kaleva.fi/uutiset/kotimaa/olli-immoselta-karkas-facebook-paivitys-voitto-tulee-olemaan-meidan/702999/>

http://yle.fi/uutiset/finnish_mp_calls_for_fight_against_nightmare_of_multiculturalism_no_comment_from_party_leadership/8182155

QVOMODO VETERES INSCRIPTIONES MONVMENTARIÆ FVNERARIÆQVE PLERVMQVE DVPLICEM SERMONEM OSTENDANT INCISVM

– scripsit Iobannes Teresi –

Plerumque evenit, ut civitates præbeant alia testimonia quam scripta papyracea vel membranea seriora, et quocumque modo talia, ut definiantur epigraphica, quæ verumtamen differunt inter se, quibuslibet civitatibus consideratis, ex quibus præcipue emergunt inscriptiones Græcæ et Latinæ iam factæ, rigore et vi, disciplina et studio, ab aliis eiusdem generis separata.

Significativa cumulatio inscriptionum tam ingens est, qua nempe Antiqui usi ipsi erant, ut studiosus Francogallus, cui nomen est Ludovicus Robert, nostra ætate possit hanc civitatem Græco-Romanam appellare «inscriptionum civitatem».

Studium de inscriptionibus Græcis iam exstare prorsus possumus dicere ætate antiqua, seu quia historici sæculorum V et IV a. Ch. citant veteres inscriptiones, seu quia ætatem abhinc Hellenisticam inveniuntur compilatores qui collegerunt has inscriptiones, tales Philocorus Atheniensis (mortuus circiter 260 a. Ch.), Craterus (vivens inter IV et III sæculum a. Ch.) qui in lucem dicitur edidisse novem libros decretorum, et Polemon Iliacus (II saculo a. Ch.), «cipporum vorax» appellatus.

Sub aspectu linguisticæ scientiæ notandum est proximitatem duarum linguarum cuius usus viget in quadam societate definita et dicitur digloxia, quibus cœtus citatus utitur ut argumenta varia exprimat, sicut evenit plane v.g. apud sectorem religiosum (id est apud sectorem catholicum, qui se refert ad sermonem Latinum).

Si consideramus civitatem Romanam scimus sermonem Græcum aspici seu ut linguam poeticam maximi pretii, scientificam, medicam, theoreticam, seu potius ut linguam a plebe sumptam, seu ut linguam aptam ad motus animi exprimendos, in comparatione cum lingua Latina, quæ e contrario existimatur propria rei publicæ, traditionis, institutionum, potestatis, iuris.

Unde usus ambarum linguarum in cippis, qui manifestant tam pertinentia socialia mortuorum quam verba consolatoria, acclamatoria, salutatoria, vel nomina addita, vel vera et singularia epigrammata laudatoria. Contingere enim potest ut in lucem veniant exitus compositi ut habitus mentis acquisiti utriusque linguæ simul apparentes; phænomena quæ postremo «typos executorios» revelant, per quos sine dubio «inclinatio» facillime demonstratur artificicis.

Ita pluribus typis vel modis adæquantur artifices indole definiti et singulares, qui nempe differunt inter se capacitate technica, doctrina ad linguas et ordines alphabeticos attinente.

Ut bene existimentur hæc phænomena mixtionem typorum vel modorum demonstrantia, oportet animad-

vertantur non modo technicarum actus sed potius quod possumus definire «modum extra tempus et condiciones» cum consideremus momenta et actus apti ad artem epigraphicam agendam.

In hoc quadro includuntur testimonia quæ non demonstrant schemata præparata, ut putentur hæc confici instrumentis quibuslibet, sicut inscriptiones graphio factæ (in marmore, tectorio, lateribus), vel inscriptiones incisæ in calce viva sepulcrorum vix in loculis confectorum (inter quas enumerantur illæ digitis signatæ) et manum utriusque generis scriptorum patefacientes.


Ab his modis fortuitis discrepant illi confecti carbone, acti arte simplici sed verumtamen antea parata. Postremo hoc in casu includuntur inscriptiones actæ scalpro, cuius confectio implicat aliquam præparationem per gradus expletam (de schemate theorico usque ad in actum reductionem), quæ denotat præsentiam complurum artificum. Haud minore consideratione digna inter has inscriptiones illa musiva quæ unica putantur.

Quod attinet ad habitus mentis demonstrandos inscriptionum proprios dicendum est incisionem posse pertinere ad unum modum conficiendi, qui sit semel et simul mandatori, ideatori, scriptori. Certissime hoc in casu difficilius mixtionem habituum mentis ibi contextorum explicatu. Nam hæc interpretatio ex duplicibus aspectibus constat: ex una parte activa (cognitionem signorum regularumque grammaticarum et syntacticarum implicante); ex altera passiva (lecturam signorum verborumque singulorum necnon totius structuræ significativæ comprehensionem captante).

Res tum fiunt difficiliore cum agatur de usu linguistico omnino dissimili illius quo utuntur artifices cuiusdam regionis linguisticæ. Nam plerumque inveniuntur exempla mixtionis Græco-Latinæ una cum praxi technica inscriptionum propria. Similia phænomena sunt frequentissima cum processus per quem labor incisorius iteratur vero rapidissimus ostentetur, quin hic immo novam inspectionem non iubet, labore iam expleto. Haud desunt tamen exempla non omnino vel ex parte linguistice idonea, quorum defectus non tribuuntur erroribus artificum nec potius expensis modestis.

Sub hac specie has actas esse certo mandatum est, et per hunc modum denotant pertinentiam et peritiam artificum, quia inscriptiones hæ lingua Græca et Latina confectæ sæpius veniunt ex regionibus orientalibus, quorum mandatores volunt ita non alieni a Romana societate putari.

Addatur cito linguam Græcam, cuius usus iam



Fibula Prænestina (Wikipedia)

fixus erat in civitate Romanorum antiqua, factam esse linguam liturgicam a christianis ab origine, etsi plerique alieni fuerunt ab usu linguæ Græcæ locutorio et sæpius etiam scriptorio.

Casus inscriptionum utroque sermone confectarum haud vero pauci sunt: ad hoc satis memorare Res Divi Augusti gestas. Etiam simul inventæ sunt inscriptiones tribus sermonibus confectæ: Latino, Græco, Punico. Sed ditior inscriptionum sermone Latino copia est, quæ magis convenit studio Romanæ historiæ et quæ efficit ut notitiæ et momenta cognoscantur apta ad repræsentationem historicam magis perficiendam. Nam hæ inscriptiones Romanam vitam sub multiplicibus aspectibus describere non desinunt.

Dicendum nobi est Academiam Berolinensem, cum anno 1863 primum in lucem edidit *Corpus inscriptionum Latinarum* mentore historico Mommsen, sine dubio accessum ad inscriptiones, antea separatas et dispersas in collectiones minus plusque modestas vel ingentes vel potius invias, maxime fovisse.

Recentiorum annalium, inter quos enumerari possunt in Italia *Notizie degli scavi di Antichità*, ab Academia Nationali Lynceorum editæ, et *Bollettino della Commissione Archeologica comunale di Roma*, cura est ut mentio inscriptionum numquam notarum in lucem edatur sicut fecit hodie anno post annum libellus annalisticus *L'année épigraphique*, Lutetiæ editus.

Ingens textuum horum copia superest materiæ usus gratia, in quam inscripti sunt, v.g. in marmor (vel saxum) et in metallum (æs et plumbum), quamvis non desint inscriptiones materia quæ facile corrumpitur, ut tabulæ cereæ Pompeiorum et Alburni maioris in Dacia.

Notandum est multos textus non prævalere sub specie originali sed imitata.

Hæc methodus Ætatis Mediæ præsertim propria est. Præter materiam supra citatam, recordari possumus metalla pretiosa (ut lamellas votivas), ebur, os, vitrum,

ficilia (hæc ultima origine signata).

Omnia quæ supra diximus ad materiam nummariam certe etiam attinent. Haud inopportunum est adnotare modum scribendi veterem non similem esse modi ætatis nostræ (ad dextram versi) sed e contrario se vertere ad sinistram, modum quem scriptura Græca et Phœnicia, ex qua prior derivatur, fingit. Propter hoc ad sinistram se vertit scriptura in Fibula Prænestina et in vase Dueni, e contra in cippo Fori Romani scriptura est boustrophædica, i.e. transscribitur modo Græco, vero archaico βουστροφηδόν. Hoc adverbium significat bovem hinc atque illinc caput torquere cum agrum arat, qua de causa scriptura boustrophædica dicitur formata alternis lineis dextram sinistramque indicantibus sulcorum similibus bove impressorum. Hæc scriptura mansit in Creta usque ad quintum sæculum a. Ch. n. et disparuit sexto sæculo. Exemplaria huius scripturæ sunt Cortinæ leges, quarum inventio tribuitur studioso archæologo Halbherr anno 1884, et inscriptio archaica Fori cippi.

Signa alphabetica tempore transeunte mutantur et mutatio eorum præbet indices temporales, qui tamen sunt probabiles.

Ex altera parte oportet dicamus, sub Re publica imprimis, sub Imperio postea, onera publica distulisse secundum ordinem socialem civium, adeo ut, si onera ingentia tribuerentur sub Re publica senatus membris, sub Imperio divisio et distributio facta sit largior, amplectens fere omnes societatis ordines. Inscriptiones eædem denotant cursus honorum secundum tres categorias: senatoriam, equestrem, plebeiam. ☪

PROPATVLA ADLECTATIO, AN VEXATIO PROPATVLA?

– scripsit Franciscus Xavierus Sojic –

Hodie¹ vobis symbolam paravi de adlectione propatula alioque themate arte coniuncto, id est de vexatione. Huius symbolæ cogitatio mihi occurrit postquam nonnulli amici mihi hanc pelliculam tradiderunt. Vosmetipsi certe hanc vidistis: intra paucas minutas summatim breviterque exponit quid patiatur femina in viis neo-Eboraci ambulans, videturque iam paucos dies percrebrescere.

HAC DE PELLICULA QUID SENTIAM

Quoniam quisquis hanc pelliculam mihi monstravit sententiam a me rogavit, ecce ea: peius sincere exspectabam.

Amicula mea vexationem vel peiorem passa est cum Augustonemeti (*Clermont-Ferrand*) ambularet. Nulla manus in clunibus posita, nulla contumelia iacta... Vir iste qui eam sequebatur me valde offendit, octoginta tamen centesimæ partes virorum qui eam adlocuti sunt tantum dixerunt eam esse pulchram nec perseveraverunt, quam rem non iudico esse vexationem.

Quamquam eius generis pelliculæ sæpe instillant viros generatim reos esse huius vexationis, hæc femina solum centies adita est, quod iam multum esse consentio, attamen si hoc componas cum numero omnium virorum obviam quibus it Neo-Eboraci intra decem horas, inde apparet minus quam millesimam partem virorum esse obnoxiam eius condicionis rerum.

E compluribus iam annis huiusmodi pelliculæ in lucem prodeunt ut viri eo quod feminæ cottidie ferant moveantur. Id erat necessarium, cum condicio muliebris deberet agnoscere. Sed hæc pelliculæ numquam effecerunt quod sibi erat propositum, cum vexatio propatula haud deminuta sit.

Mea sententia, prima causa huius rei est quod quæstio audientium non est considerata. Ei, qui has pelliculas vident, ipsi sunt qui causas muliebres respiciunt, cum veri vexationis rei vel eas non spectent, vel irrideant si spectent. Hoc significat viros erga feminas malevolos perrecturos eas adgredi similiter ac antea, benevolos vero minus minusque id facturos, ne molesti sint, ita ut denique sentiant feminæ viros peiores peioresque factos esse, vexationemque augeri.

Secunda causa in eo consistit quod huiusmodi pelliculis sermo nimis vehemens habetur, id est feminæ adiri nolunt, cum revera a viris exspectent ut modice se gerant, non intemperanter.

Primo, hoc plane est falsum. Feminæ a viris adiri avent. Quæstio non est feminæ a viro adeundæ, sed modi quo id fit. Ut vera dicam, centenas feminas, immo vero milia earum in propatulo adivi, multosque viros comitatus sum qui idem facere volebant, quod

sæpenumero bene successit. Cum plerisque earum non concubui, ne numerum quidem telephonicum plerumque cepi, sed quotienscumque eas adivi subridebant et se oblectabant.

Secundo, etiamsi hoc verum esset, quod reapse nocet est id nuntiari sine ratione habenda causæ cur viri ita se gerant, quod solum efficit ut ira virorum aliorum in feminas incendatur. Cur viri hoc faciunt? Quia viro, nisi sua sponte ignotam adloquitur, numquam fiet sermo cum femina ulla. Obiter, quod incitat plerosque viros ad ita agendum, non est voluptatis libido, at animi solitudo. Libido solum motus est secundus.

Absurdum est, simul et huiusmodi pelliculæ viros qui feminas adeunt accusant molestissimos esse, feminas simul viros cottidie commonere non veros esse mares nisi eas adeant, non habere «testes», castratos esse, nescire quid velint, nulla uti fortitudine, vel ut brevius dicam, eos effeminatos esse. Cum viro optionem datis decernendi vel molestum esse vel feminam, quid censetis eum electurum? Si, quidquid agit, a societate vituperatur, moliri malet. Etiamsi a vituperationibus non defenditur, saltem occasiones arripit quæ ei offeruntur.

Denique huiusmodi pelliculæ id habent incommodi quod viris monstrant quæ res non sint faciendæ. Alicui vero potestis per annos explanare quid non sit faciendum, dum nesciat quomodo sit in loco agendum, is numquam mutabit consuetudinem. Viri hac in pellicula apparentes non tam stulti sunt quam videntur: facta sua adfectionesque quas apud feminas excitant oderunt. Si facere possent ut res bene verteret, facerent. Difficultas ex eo oritur quod, etiamsi ratio nostra est pessima, cum sola sit nobis nota, necesse est eam videre bonam.

Potiusquam denæ pelliculæ frequenter edantur quam sententia nihil est plus quam, «pravus es si feminam in propatulo adis», quod nuntium in timorem minasque innititur divortiumque sexorum creat, satis erat pellicula quæ idoneos ad feminas adeundas modos, quod nuntium vero in amorem innititur sexusque inter se semel conciliavisset, præbeat.

AD FINEM VEXATIONI IMPONENDUM QUID SIT A PARTE VIRORUM FACIENDUM

Idcirco libenter hanc doctrinam egometipse vulgabo: amice, si obviam feminæ perpulchræ in propatulo fis quam te scis debere adloqui, quomodo facies ne in vexatorum numerum referaris? Hoc ad enodandum unus totus flagitetur liber, ab his vero initium sumam:

Primum, solum adfabiles adloquere feminas. Si sola est, sive celeriter ambulat, sive telephono utitur, sive

in auribus auscultabula habet, non est operæ pretium probare, vel minus si flet (ridere potes, hoc tamen iam vidi). Sensum communem præsta ne feminam interpellas quæ sermonem vitare quacumque ratione enititur. In pellicula supra dicta viri nullam merentur veniam, cum omnia signa hac a femina data indicent eam nolle adiri.

Exspecta dum te aspiciat. Si quæ femina te ardentem aspicit, invitatio ad eam adeundam est. Quæ cum ita sint, non est evidens, cum in propatulo inter punctum temporis quo feminam animadvertas et punctum quo eam prætereas, sæpe non plus una secunda acta est. Si verum præcavere ultra vis, hæc ratio tibi manet.

Aliqua cum amica adi. Necessarium quidem non est, sed optimum est aliquam ex amicis tuis te comitari cum aliam feminam adeas. Necesse est hoc fidem ei facere: molestus esse non potes, nec in indigentia, quippe cui iam alia femina adsit.

Ne minax visus sis. Id evidens videtur, solum verum fit his condicionibus: bene vestitus esse debes, subridere, nec animos conferre infestos (in indigentia videri, vel sollicitus, et cetera), nec familiarior esse quam par est. Ne oneri sis, feminæ quæ contra stet monstrare sufficet te non in animo habere ad vitam æternam manere, nec hirudinem fore. Id facere potes vel viva voce («ignoscas, non plus quam duas minutas tibi consumam, quoniam alibi exspector, volebam vero tibi dicere...») vel modo gerendi (sermonem corporis habendo extrinsecus verum, tamquam profecturus sis). Animadvertas te non mentiri: non plus quam duas minutas manebis, vel minus. Si sermo longior producit, est quod femina id selegit et hortata est.

Nonne est facile? Si quam harum quattuor regularum violaveris, neminem poteris accusare nisi te ipsum, si repulsam patieris. Sin autem hæc omnia observaveris nec femina consistet ut te audiat, nihil tua referet, sed sua. Si qua amica te comitetur hoc facientem, quamquam feminæ queruntur se probris vexari a viris adeuntibus, talibus in casibus sæpe illa ipsa contumelias iaciet.

AD FINEM VEXATIONI IMPONENDUM QUID SIT A PARTE FEMINARUM FACIENDUM

Postremo, feminæ quoque operam dare possunt ut numerus adeuntium magnopere minuatur. Feminis semper dicitur eas ipsas non posse res mutare, exspectandum esse dum viri sua sponte aliter se gerant. Hoc vero nihil umquam effecit, nec feminas adiuvit ut suarum vitarum potiantur.

Hunc ad finem, eiusmodi pelliculæ frequenter eduntur ut mares misereat feminarum, quod numquam bene succedit, ut sperandum est.

Scisne cur? Quia plerique viri libenter experiantur quod ea hac in pellicula experta sit! Tot feminas qui nos retineant ut nos formosos esse dicant, ut nos adlicere conentur, omnes viri complura decennia exspectaverunt.

Hoc sane, sed non sunt grata tantum verba: quin vide virum qui per complures minutas feminam secutus est?

Sine dubio femina pavit summopere, sed si femina me virum tantisper secuta esset, non curavissem. Etiamsi grex trium «corporisculptricium» me in propatulo adirent, non timerem, quamquam parva statura sum nec umquam in vita mea luctatus sum.

Absit ut asseverem feminam non posse virum vexare, nec exstare violentias in viros. Unum hoc scio, cum femina enititur ut vir intellegat frequenter in propatulo adiri ei molestum esse, numquam succedit, quoniam plerique viri hoc plane somniant. Plerique eorum quamquam dolebunt manus in clunibus positas, quas patiuntur feminæ in ferrivia subterranea, contumelias in propatulo acceptas, numquam tamen numerum adiutum.

Nam vir non timet in propatulo adiri, sed se ipsum debere feminas adire. Quod feminis simplicissimam rationem vexationis circumscribendæ præbet, qua ratione ceterum sibi videntur compotes iterum fieri rerum amatoriarum, id est viros adire. Non enim est causa cur viri soli feminas adire debeant (hoc fusius tractatur in ultimo capitulo libri mei).² Feminæ, si viros invicem cœperint adire, seligere possint quibuscum verba commutent. Si qui vir non fidem eis faciat, iter persequantur.

Si femina sua sponte viros adire incipiat, facultatem amasios seligendi recuperabit. Si deinde satis multæ feminæ incoherent... Nobis experiendum est ut certo sciamus. Ut quidem de me confitear, hoc pro certo habeo: mihi sufficiat adiri hebdomadaliter, quæ frequentia maneat multo minor quam plerisque feminis, ut feminam ullam in vita mea non iam cogitem adire.

Cum talibus pelliculis viri constanter impellantur ut plus plusque a feminis abeant, hoc pacto ad viros accedatis potiusquam ab eis abeat, dominæ: non mente potestis fingere quantum moveamur ab hoc mutemurque.

AD CONCLUDENDUM

Vexatio propatula est magna nunc temporis quæstio, quæ viros feminasque possit reconciliare, vel in æternum dividere. Ad nos omnes pertinet, nihil referente utri sint vexati, utri vexatores vel vexationis perperam accusati.

Quamquam omnia una symbola complecti nequeo, spero hoc textu submisso scripto te melius intelligere quid agatur, ut pro viribus tuis adiuves ad mundum pacatiorem reddendum. ☺

1. Subiuncta symbola est translatio huius textus Francogallice conscripti: <http://www.comprendrelesfemmes.com/drague-de-rue-et-harcelement/>

2. Benjamin Berthon, *R-EVE-Olution. Au delà du marché féminin*, eBook.

DE IVCVNDATA FABELLA ALCHEMICA (II)

– *textum proponit Stephanus Feye* –

(...) TI. – Quis hoc te docuit?

LÆ. – Christus, inquit: «Primum quærite regnum Dei, et omnia adicientur vobis.»¹

TI. – Numquid et Mechanici hoc ipsum facere possunt?

LÆ. – Imo cum datum fuerit illis a Domino, sed occupatius quam ipsi Concinatores, qui nullis aliis turbantur negotiis.

TI. – Perpendisti etiam exigua fore Ministrorum Dei mundana stipendia, quibus vitam caducam familiæ suæ sustentare vix valent?

LÆ. – Non ignoro, Pater, hoc, et si nulla forent, sicut nec Apostolis fuere, non propterea fame perirent, ut pollicetur Christus his verbis antea dictis: «Et omnia adicientur vobis».

TI. – Studere te prius oportebit.

LÆ. – Absque dubio.

TI. – Hac de re consulam Dominum Concinatorem.

Interea mecum ora Deum, ut hosce tuos conatus ad suam gloriam tuique salutem si fuerint, provehere velit. Amen! Irate, veni huc! Tu, quid exercere cupis?

IRATUS – Carbonariam artem.

TI. – Deus bone! Viliusne potuisti quid optasse? Quid te sordes istæ delectare potuerunt, eas ut eligeres?

IR. – At non sordescunt pecuniæ quæ his acquiruntur sordibus.

TI. – Audio quidvis aggredi velle te causa lucri.

IR. – Consideravi, Pater, ad hanc artem exercendam non opus esse multis præterquam securi sola, qua ramis tundantur arbores.

TI. – Res plane ridicula videtur.

IR. – Audi precor, mi Parens: erecta lignorum congerie, lutum quo tegi debet nullo pretio prorsus emitur, nec etiam ignis ligna succendens. Labor hoc loco solum exponitur, totaque pecunia lucrum est. Non ita cum cæteris artibus. Indiget farina Pistor et lignis quæ cogitur emere. Corio Calcifex, auro et argento Faber argentarius, ut interim diversa prætermittam instrumenta; sic de reliquis.

TI. – Non ita fatue prout antea putaram elegisses, ni sordesceret negotium.

IR. – Magis alia sordent opificia, Lanionum utpote, Coriariorum, etc.

TI. – Et tu confirmatus in optione tua mihi videris.

Probum te magis quam nigrum Carbonarium Deus efficiat, precor. Facete, quid operis elegisti?

FACETUS – Mi Pater, Aulam ego sequi plurimum desidero.

TI. – Post vile, nobile sequitur hoc loco negotium. Tu qui postremum es omnium natuque minimus, ex cive nobilis fieri cupis?

FAC. – Quid ni, Pater? Quocumque se direxerit hominis industria humanis in statibus, diligentia summa

pervenire potest eo, præsertim a Deo et natura quum adiutus fuerit.

TI. – Opes non habes quibus hunc statum prosequi valeas.

FAC. – Acquiri possunt hac via non secus ac artificiiis.

TI. – Vides tamen plurimos, qui per totam iuvenilem ætatem in Aulis educati sunt, pauperrimam in senectute vitam agere durius illis qui semper inopia pressi fuere. Nam isti melioris inscii sunt, illi vero dum vesuntur oleribus et macris domi, non sine mærore maximo lautiæ pristinæ reminiscuntur.

FAC. – Ignavia sua factum est ut ex Aula nihil reportarent lucri. Quia coquinæ magis et ventri quam Aulæ fuerunt intenti.

TI. – Vide, si veneris eo, ne te seducat etiam cum cæteris venter. Nam delicatæ boli, calices suaves Magnetæ plus attrahunt.

FAC. – Nisi ex Aula Principis ad Regiam pervenire spes foret, non adirem. Aliud quam intestina replere cupio.

TI. – Faxit Rex Altissimus ut ad eius Aulam ascendere queas, et nos omnes una tecum similes fiamus Aulici! Feliciter itote, Gnati, Matremque vestram ex meo præcepto huc ad me venire iubetote.

PUERI – Mater charissima, te Pater ad se venire iussit.

OC. – Quid cupit?

PU. – Ignoramus.

OC. – Marite mi, quid est quod me voces?

TI. – Audi, quæso, quæ Gnatorum sint electiones.

OC. – Quæ, precor?

TI. – Divina.

OC. – Nex Vates nec Cædipus, Oceanitis ego sum. Est quod mihi referas, si rescire me cupiveris.

TI. – Sollicitus fieri vult Sapiens; Rudis Agricola; Lætus Concinator; Iratus Carbonarius; et Facetus Aulicus. En habes eorum consilia.

OC. – Bone Deus! Hæc est eadem, quam inter sese rixantes nudiustertius egerunt Tragœdiam, nec intelligere potui quid vellent.

TI. – Recita, precor.

OC. – Rudis Sollicitum ridens, forensem Doctorem appellavit. Sollicitus eum ex adverso Rusticum. Ad hæc Lætus adiens increpavit utrumque dicens non decere fratres ut unus alteri «Racha» diceret.² Cui Rudis ait: Unde nobis Paganus iste Sacerdos prodit? Accessit Iratus, et interrogavit alios quidnam rixæ foret inter eos. Sollicitus convitiosas Rudis narravit iniurias. Vultisne (dixit Iratus) putridæ huic buccellæ viginti colaphos impingam, quibus foetidum hoc illi claudatur os? Facetus tandem superveniens, ubi rem edoctus est, Rudi, sic brevibus inquit: O Subulce, tuos porcos adi! Respondit Rudis brevius: Hinc abi tu, Caulice!³

Coacta fui postremo virgis intercedere minitans, nec eos sedare prius potui, quam dicerem tibi me relaturam.

Ti. – Quare igitur non retulisti?

OC. – Si quid per singulos dies inter se rixarum habent narrare tibi deberem, non esset otium, nec aliud opus mihi reliquum.

Ti. – Videmus eorum electiones probe suis cuique moribus correspondere. Naturam ipsam alienare, quæ non vergit in vitium, pueris non est conveniens nec utile. Nam si de naturali mechanico Doctorem efficere Parentes velint, Asinum habituri sunt, et merito.

Pariter si de naturali Doctore Mechanicum, otiosum efficient operarium et inutilem. Hinc fit ut ex utraque parte multa videantur huius generis hominum, potius quam homines, vera monstra. Faxit Omnipotens quod sit ad gloriam eius. Bolum aut aleam ego iaciam, prosperam esse futuram spero. (...)

[Titan rus se confert cuiusdam ad amici villam. Hic, nomine Demogorgon et uxor eius Marchasitis, Titanem non solum humanissime lauteque excipiunt, verum etiam pleraque eiusdem desideria (Deo dante) in effectum ducunt: Rudem ut suum puerum adoptant, qui sic agricola fit. Parentes plura reliqua etiam facillime enodant: quinque enim liberorum matrimonium uno ictu pangunt: Rudis accipiet Nigram ut uxorem; Læto fiet Candida coniunx; Irato Flava. Quod ad Titanis puellas pertinet, restant Demogorgoni duo pueri maiores natu nominibusque prædestinati: Calaminus habebit Vanam, et Talcus quidem Assiduam. (Fatendum est id raro fieri, nostris temporibus, ut Dei manus tantopere appareat in buius generis rebus! Dolendum quoque est nimis paucos æquales nostros liberis suis talia nomina tribuere! Age, lector optime: futurum filium tuum baptiza «Talcum» in loco Kevin!)]

Rudis artem suam discit apud carbonarium a Demogorgone indicatum. Sollicitus autem, Lætus et Facetus altius tendunt... In hac re quoque divina Providentia vigilat: Lætus de vocatione atque doctrina a Concionatore quodam interrogatus probatusque apud Principem introducitur, qui statim Concionatoris opinionem confirmat: scholæ religiosæ solitæ vel collegia pueri ingenium pessimo veneno inficient (nam illo tempore Christiani multis rixis divisi errant inter Papistas et alios). Qua de causa, Princeps Scholam novam ad iuventutem in omni pietate instruendam condet, in qua Lætus primus discipulus erit. Attamen hæc non sufficiunt: Princeps Facetum in Aulam suam admittit ut muneribus aliquibus in cameris suis fungatur.

Restat ut maior natu, Sollicitus, humanam sapientiam addiscere cupiens, rei suæ solutionem tandem inveniat. Hoc sine molestia, ut videbimus, non fiet: hunc, suadente Concionatore, Pater ad Sorbonum Collegii Gymnasiarchum adducit, qui, inprimis quidem, eum humane interrogat:]

GYMNASIARCHUS – Accede, fili. Quid est scopus humanæ scientiæ?

SOLL. – Constans est omnis humani desiderii, completi vel inexplati, satietas.

GYM. – Ergo sitis, et famis, carnisque libidinis extinctio, scopus erit huius tuæ, quam addiscere cupis, humanæ Sapientiæ?

SOLL. – Nequaquam!

GYM. – Nonne sunt ista humana desideria?

SOLL. – Sunt, et non sunt, rationibus diversis.

GYM. – Adfer quas habes.

SOLL. – Si famis et sitis extinctio, naturæ veræ desiderium non excedat, quæ paucis est contenta, non humana, sed vere naturalis erit, nec etiam constans est satietas. Nam ut potu ciboque digestis, iterum appetitus eorum, sic et libidinis tuæ redit uredo. Si vero hæc præter naturam excesserit extinctio, humanum et corruptum erit desiderium. Sic etiam ad generandum appetit natura vera matrimonium, non ad carnis appetitibus faciendum satis, ut solent humana bruta.

GYM. – Numquid caro naturalis est?

SOLL. – Maxime, sed eius appetitus omnes contra veram naturam existunt.

GYM. – Edere, bibere, generareque non sunt appetitus naturæ?

SOLL. – Per ea quæ supra dixi, tibi responsum est. At quia non videris intelligere quæ loquor, differentiam facere veræ naturæ ad humanam et falsificatam a Diabolo naturam, explicabo latius: Quamquam in hominibus depravata per peccatum est prorsus vera primævaque natura quæ sine macula vel defectu prius condita fuerat, ita ut iam ex seipsa nil aliud appetere possit quam peccatum et omne vitium, nihilominus in homine quovis Divini luminis scintilla quædam remansit, in uno tamen quam in alio magis impedita, quæ vitiatam huiusmodi naturam ad primam et incorruptam, quantum fieri potest, retrahere nititur assiduo. Et inde regulatus in aliquibus vivendi modus oritur, in illis quæ tu protulisti. Et ut ansa tibi calumniæ magis auferatur,⁴ dico luminis tantillum hoc in omnibus post peccatum statim oppressum et obfuscatum æqualiter, ut quivis per se foret impos huius lucis⁵ non extinctæ tamen. At fœdere divino cum hominibus pacto repululare cœpit ac relucere plus in uno quam in alio, quod in Abrahamo patuit, etc.

GYM. – Aristippeum potius quam Epicureum dogma profers in medium.

SOLL. – Nihil minus! At mere Christianum.

GYM. – Christianorum e re fore dicis, quibusvis desiderii satiari?

SOLL. – Hoc tu loqueris, non ego.

GYM. – Quid ergo tu?

SOLL. – Permanenter satiatum esse complete vel inexplati quibusvis desiderii humanis, ita ut eorum nullus appetitus (etiam si redeat) dominari possit, finem atque scopum esse huius mundi Sapientum excellentissimum.

GYM. – Deliras, puer!

SOLL. – A via tu Veritatis ad ventrem et libidinem declinasti, sumpto mox ab eis argumento.

GYM. – Stultum te fore credo.

SOLL. – Quod tu credis, ego non, tum quod ego, minime credis.

GYM. – Quid hoc est, audiam.

SOLL. – Tu te Sapientem existimas, ego nullo modo.

Contra, tu me stultum iudicas. At mihi te ipsum ut fatuum prodis, qui alios docere Sapientiam præsumis, et scopum eius ignorare finemque non erubescis.

GYM. – Abi hinc, hæretice, desideria tua satiatum in alios quam in me!

SOLL. – Absit a me procul hæresis omnis! Integram hanc tibi non invideo. Sed quia tu saccus es insatiabilis et fundo carens, de saturitate et abstinentia vera nihil audire sustines. Recedamus hinc, Pater. Nulla hic Sapientia quærenda est.

Ti. – Ubi ergo eam addisces, fili? Nullæ sunt aliæ Scholæ nobis.

SOLL. – Huiusmodi Scholis non indigeo. Docebit me sola Veritas.

Ti. – Ubinam locorum hæc reperitur?

SOLL. – Non est mortua, Pater.

Ti. – Non, sed oppressa, quibusvis et expulsa locis.

SOLL. – Emerget una dierum, eorumque periculo maximo qui detinent eam iniuste.

[Hic Patri narrat Sollicitus sibi noctu apparuisse Nympham pulcherrimam quæ res futuras (i.e. se multa passurum ante victoriam finalem) nuntiavit seque aspiravisse cum Gymnasiarchum adloquebatur... Interea Gymnasiarchus cum collegis deliberat de optimo periculo ab isto puero aspirato suscitatum vitandi modo. Nam rumore per populum rebellem irridentem sparso, Sorbonum questus rueret.]

LICENTIATUS – Sacri nostri Canones habent: «Hæreticos exterminandos, vitæque mulctandos esse.»

GYM. – Hoc scio. Verum ignoras id, hac in Civitate, minime licere, quia Princeps noster Evangelii professionem faciat?

LIC. – Miror ingenii tui simplicitatem. Sis tu vel alius nomine tuo carnifex!

GYM. – Quis sic?

LIC. – Puer sæpissime se rus ad suos fratres conferre solet. Antequam ad Carbonarium deveniat, per densissimam sylvam iter facit. Adhuc quid velim non percipis? Mittatur ad requiem cantu sine, luce, cruce, tace tu, quis resciet?

GYM. – Minor esset profecto conscientia mihi quam periculum. Nam sylvæ sepesque habent aures nonnumquam, et oculos. Tentare minime certum erit.

Baculaurie, quid adfers consilii?

BAC. – Tutius foret puero per aliquem dari ficum Romanicam, postquam non fameat amplius.

GYM. – At periculo suo non caret etiam istud iudicium tuum. Posset enim is cui committeretur non exequi, motus aliqua conscientia, palamque facere. Magister artium, quid ex tua Philosophia profers, quod liberius et minori periculo fieri valeat?

MAG. – O vos impii non homines, at hominum immania ferociaque bruta!

Nullus vos Dei timor si non Amor arripit, neque Proximi dilectio? Latronibus et homicidis quid estis meliores? Puerum insontem sic trucidare licet? Qua Theologia vestra, quibus legibus, vel apud maximos Tyrannos, præterquam apud Herodem, a quo vos didicistis, prodiit simile facinus, atrox et intolerabile scelus?

GYM. – An non est satius perire puerum unum, quam nos una tecum quotquot sumus omnes interire fame?

MAG. – Deliras. Non in eo consilio maxime ruinam existere nostri omnium in hoc sæculo et in perpetuum vides? Occæcare Deo putatis oculos, aures occludere cohibereque manus eius, ne vos momento perdat, et in abyssum inferni deiiciat? Non sat scio quid me diutius apud vos detineat. Nam apud scelerosos homines vivere minime tutum. Valeat ex nunc vestrum consortium! Nil mihi commune vobiscum sit amplius. Iam a vobis recedo iam.

GYM. – Mane, precor, mi Magister artium! Nihil fiet eorum quæ diximus.

MAG. – Absit! Abeo.

GYM. – Licentiate, retine. Dissuade Baculaurie, ne recedat a nobis!

BAC. – In cubiculum abiit; nihil periculi. Portenario committemus ut fores occlusas teneat, eumque non permittat exire.

MAG. – O Deus bone, tueri digneris puerum hunc ab atrocitate quærentium animam eius. Da, quæso, consilium quo liberetur. Et confundantur qui moliuntur insidias insonti.

GYM. – Adite vos Magistrum et pollicemini verbo meo decem aureos in vestem.

LIC. – Potius erit ut numeres, et ita melius sedabitur.

GYM. – Iubete venire, mox numerabo.


LIC. et BAC. – Magister, aperi!

MAG. – Non faciam. Nunquid et me trucidare vultis ut puerum illum?

LIC. et BAC. – Absit! Dominus Doctor tibi mox decem numerabit aureos ut maneat apud nos. Accede saltem.

MAG. – Fistulâ dulce canit volucrum dum arripit auceps.

GYM. – En eos papyro hac involutos per fissuram immitto. Habesne?



(Wikipedia)

MAG. – Habeo. Sed promittite priusquam exeam, quod nihil a vobis fiat mihi, nec puero.

GYM., LIC. et BAC. – Promittimus ad Sacrosancta Dei Evangelia.

MAG. – Accinctus gladio pugioneque prodibo, non ut noceam, sed ut me defendam ab iniuriis, si quas mihi machinati fueritis, strictisque vos perfodiam animo resolutio.

GYM., LIC. et BAC. – Hoc libere fac, ubi quis nostrum in te manus coniecerit.

MAG. – Adsum. Quid vultis?

GYM. – Nil aliud quam ut nobiscum ad Capitulum redeas, et hac de re consultemus latius, nobisque dicas quidnam agere debeamus, et puer salvus maneat, et nos honore bonisque non diminuti.

[Magister artium igitur (fortasse adspiratus quoque!) hoc proponit, quod etiam efficietur: Titani humanissime doloseque suadere, ut salvet vitam et pueri, et suam et uxoris. Nam æque apud Sorbones ac Evangelicos pœna capitis puniantur verba eius hæretica si talia coram civibus proferre pergat. Quod facile vitari posse si puer ut stultus vel demens habeatur ac induatur, Paterque de his omnibus taceat.]

Gymnasiarchus ergo patri verbis mellitis suadet, qui Sollicito stulti vestem ac clavam conficere curat. Interea Nympha dicta singulis (i.e. filio, matri et patri) noctu varium in modum apparuit ne Fato resisterent patienterque ut eventa ferrent. Sollicitus, si in via interrogaretur, nil aliud iussus est respondere quam: «Sorbonum Sapientia stultus factus sum.»

Sic ergo vestitus, misellus adit ad Principis Aulam, ubi frater Facetus, eum adspiciens, flet. Princeps rem suscipiens Titanem arcessit ut veritatem omnem sciat. Tandem Princeps Sollicitum in Aula cum fratre educandum protegendumque retinet.

Quodam die, inter mediam in templo Sorbonum concionem, Sollicitus iussa Nymphæ in effectum duxit: conscendit super altare coramque populo de Gymnasiarchi insidiis conquerebatur inter alia clamans: «... falso dicens hæretica me protulisse, cum nullius alterius tamen quam ventris ac Veneris quæ contra meas rationes arguens ipsemet adducebat, eum redarguissem. Videte quæso, quales Doctores isti Sapientes promovere norunt. Non sine Dei iudicio factum esse putetis, at solum ut manifesto iam pateat ab indicis istorum hominum Sapientia. Considerate quales etiam a suis Collegiis prodeunt homines induti vestibus meis nunc haud absimiles, ut hominibus abdita perquirentibus notum sit eorum Sapientiam summam fore stultitiam...»

Gymnasiarchus et collegæ nunc timent. A Magistro enim artium relictus sunt, qui omnia Concionatori Principique narravit præceptorque Evangelicus factus est. Non solum a populo iam non approbantur isti, sed etiam a Faceto repulsi sunt e Palatio cum quererentur de concionis a Sollicito facta perturbatione. Auscultemus

nunc sanctam horum deliberationem:]

... GYM. – Non sat erit ut conqueramur de iniuria nobis in templo facta, sed ut accusationem, falso licet excogitatam, addamus oportebit. Cogitate vos, an quid nequitia sit in promptu, quæ colorem habeat.

LIC. – Iam tuum erit hoc facere. Suum uterque iudicium dedit.

GYM. – Quid si dicamus Facetum locutum esse nedum contra Magistratum et Principem, sed etiam contra Scripturæ Sacræ documenta, cum diceret: «Quid vobiscum est quod agat Princeps cui nullam præstatis obœdientiam», et sic invertamus: «Principibus et Magistratibus obœdientiam non esse præstandam» eum dixisse mentiamur? Sed probatione testibusque nobis opus foret.

LIC. – Bibo nobis unus erit, modo quid polliceamur, aut potu ventrem illi repleamus et cerebrum.

BAC. – Et Quadræ lambus alter.

GYM. – Optime rem agent isti. Vocentur! Nam in Collegio nostro non commorantur. Alias haberentur suspecti, vel in eos cadere posset exceptio. Utrumque vocari iubeas ô Baculaurie.

BAC. – En adsunt.

GYM. – Vicini charissimi, vestram si volueritis nobis operam impendere, compensabimus egregie.

BIB. et QUADR. – Dicite saltem in quo vobis valeamus obsequi.

GYM. – Bibite priusquam dixerō. Profecto si feceritis, ad cenam vos et prandium sæpius invitabimus excipiemusque lautissimis. At res ipsa tanquam arcanum celari debet. Alias eam committere vobis non ausimus.

BIB. et QUADR. – Toto his deponetis auribus et pectoribus uti latebris perpetuis.

GYM. – At iuramento primum opus foret, quo sanctiretis.

BIB. et QUADR. – Iuramus ad omnia, etc. ☩☩

(continuabitur)

1. Cf. Matt. VI, 33.

2. Cf. Matt. V, 22.

3. Ludus inest verborum fortasse inter «aulicus» et «colicus» aut «caulæ», quæ etiam «cancellum» significare possunt.

4. Sine dubio hic apparet allusio ad prædestinationis doctrinam, cuius intellectio rudis tot rixas inter Christianos reformatos qui dicuntur, et Papistas, excitavit.

5. Animadvertenda hic est tradita distinctio inter «lumen» et «lux» facienda. Idem enim existimandum est de Dei «imagine et similitudine» (revera: umbra et delineamento) in qua creatus est homo primordialis. Attamen, post peccatum originale, homo solum unam suffocatum ex his duabus retinuit. Virgo autem Maria «umbram» illam a Gabriele angelo recuperavit potuitque rursus coadunare cum «delineamento».

In hoc fasciculo !

- Liberi an servi?* [G. Licoppe] p. 1
De Caralis panegyrico [P. Marongiu] p. 2
De Bello Gallico eo die non tractato [C. Buysse] p. 7
De neonazismo Finnico [S. Jansson] p. 8
Quomodo veteres inscriptiones plerumque duplicem sermonem ostendant [I. Teresi] p. 9
Propatula adlectatio, an vexatio propatula? [F.X. Sojic] p. 11
De iucunda fabella alchemica (II) [S. Feye] p. 13

Imago tegumenti: descriptio urbis Calaris (Cagliari)
in Sebastiani Münster 'Cosmographia universalis' (1550) (Wikipedia).

Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :

G. LICOPPE, *Academia Latinitati Fovendæ. Eius historia per motum Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)*

30 eur.

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus*

25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Anthea*

Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré. 20 eur.

Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriæ narrationes veste Latina indutæ. Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*

De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et linguisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*

In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsaris navigationibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt

De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo Ægyptologo. 15 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA